

1978

L

1823

1702

U. a. 11

Libb. med. 4. 70

~~24~~. 16. V.

m

am 11

EPICEDION

IN OBITVM NO-
 BILISSIMI VIRI, HEN-
 RICI DE LVHE, REVEREN-
 DISS: DN. DN. HENRICO IVLIO,
 Halberstadiensis Episcopo, Brunsvicensium
 ac Lunæburgensium Duci Illustris: olim à
 Consilijs, ac Diœceseos Halberstad. Capi-
 tanei, 13. Iul. Anno Redempti mun-
 di 1591. A Etat: 57. è viuis
 sublati,

Scriptum à
 IOANNE VVERNERO D. HALBERSTA-
 diensium Medico.



HELMSTADII Excudebat Iacobus Lucius, An. 1591.

A4



NOBILISSIMO
STEMMATIS AC VIR-
TVTIS SPLENDORE PRAE-
stantissimo Dn. CHRISTOPHORO à
Dorstadt, Praefecto in Salzwedel, Hæredi
in Emerleben &c. eius genero, in æter-
nae obseruantia ac amoris pe-
rennis *μνημόσυνον*

Consecratum ab autore.



Loquar? an fileam? quid enim mihi lingua
stupore,
Mens horrore, manus tracta tremore
labat?

Credo equidem, nec vana fides, hæc ordine certis
Surgere principijs indicijsq; suis.

Haud etenim Natura, omnis quæ nescia fraudis,
Decipit, ingenuis ingeniosa modis.

Pierides Musæ blandos mihi reddite vultus,
Dicite præsentis semina certa mali.

Dicite Pierides Musæ cur ora virorum
Insolitus tingat conspicuusq; color.

Cur pallâ incedant lugubri ac veste decenti
Illustres Proceres, dicite quæso Deæ.

Sic ego: sic illæ sunt visæ reddere voces,
Et dare quæsitæ semina iusta mali:

Est Hortus magni **BRUNONIS** nomine clarus,
Hic ubi Saxonici climata clara soli.

Aurifera in medio stat celsi nominis arbor,
Hanc Tagus auriferis non benè vincat aquis

Huic cedat multò inferior vel Lydius Hermus,
Aut si quid maius splendet in orbe decus.

Auricomos arbor deducit stemmate ramos,
Explicat hæc fructus nobilitate pares.

A 2

Ipsæ

*Ipsē DEVS tantē iccit fundamina stirpis,
Ipsē DEVS miro semper amore colit.
Conditor hic Musas iussit recubare sub umbris
Arboris, & melior quos iuuat aura viros.
Vt viret aeternū Musis sacra Delphica Laurus,
Sic viget aeternis arbor opaca comis.
Testis eris celsi veneranda corona Senatus,
Quam iuuat explicitas sēpē videre comas.
Iulia testis eris, te fama aeterna beavit,
Iulia Iuliadum maxima fama venis.
Tota decens felixq; arbor: felicior istis,
Quos mirē adiunxit conditor ipse, viris.
Lumeras HENRICE, caputq; ex asse vocaris,
Qui de Lubde patris nomine dictus eras.
Hoc nouēre Duces Regesq; his tractibus Orbis,
Hoc Caesar multis nouit ita esse notis.
Quam te dilectum nouit sibi IULIVS Heros,
Quam benē COR tanti visus es esse Ducis.
Eheu quam caro te rursū optauerit emptum
IULIVS HENRICVS, si tua fata sinant.
Dixerat hic nuper Princeps, si lapsa redirent
Tempora, tu lateri portio grata fores.
Vidit enim Princeps tam celsae indagine mentis,
Proxima quod ferret tristia fata dies.*

Præuidit

Præuidit Princeps, nec mens hunc laua fefellit,
Diuitis ingenij nuncia signa dedit.
Dic quò non penetret virtus aciesq̃ potentis
Ingenij? ingenium nobile vincit opes.
Te Proceres coluere viri verumq̃ periti,
HALBERSTADII quos fouet aura fori.
Iulia Iuliadum nouit decus, arte ferebas
Huic titulos, leges, & data iura dabas.
Et quæ plura dabas olim, dum vita manebat,
Vix benè quæ præsens hora locusq̃ capit.
Hanc HENRICE tibi laudemq̃ decusq̃ parabat
Candor & ingenua cum pietate fides.
Attica promeruit tantam facundia laudem,
Culta Pericleo verba lepore dabas.
Futilis haud oris prodibat fabula septis,
Integritas vero quæq̃ colore dabat.
Religionis amans, tu, Religionis amantes
Iuisti, & factis fassus es esse fidem.
Esse fidem certam immotamq̃ ac cardine fixam,
Arbitrij nunquam quæ comes esse queat.
Hanc tibi firmabat nuper tam sacra Synaxis,
Quæ tibi quàm paucos contigit ante dies.
Sit fas pauca mihi, quæ vidi ac auribus hausi,
Temporis atq̃ loci pro ratione loqui.

A 3

Iam

Iam mortis propè tempus erat, morbiq; fremebant,
Pegasus Hesperias dum repetebat aquas.
Sensit, amans vitæ alterius, per viscera mortem.
Illabi, ac sensus cum gravitate premi,
Cum gravitate premi motum, suspiria duxit,
Et dedit in tristitalia verba thoro:
Me mea fata vocant, tibi laus & gratia **CHRISTE**,
CHRISTE tibi ac patri gloria lausq; venit.
CHRISTE tibi vixi, morior tibi, mors tua **CHRISTE**
Post mortem æternæ causâ salutis erit. (**STE**)
Dixit, & ad senas luces mora contigit, ipsi
Ut visum est summo pro bonitate **DEO**.
Mens corpus liquit, rursumq; est indita cælis,
Victaq; sic clausit lumina grata quies.
Ossa capit tumulus, potior pars reddita **CHRISTO**
Dum fiat tandem, qui fuit, alter homo. (est,
Nil stabile aut firmum est infra quod cornua Lunæ est,
Qui modò spirat homo, mox cubat ater humo.
Et labor & dolor est cum vita à limine surgit,
Et labor & dolor est, cum benè vita viget.
Vita pijs **CHRISTI** mors est, ac vivere vitam .
In **CHRISTO** est **CHRISTVM** per mala mor=
Mors humanorum communis meta malorum est, (te sequi.
Mors mala quæq; premens, nil habet ipsa mali.

Ergo

Ergo mori lucrum est, lucrum ne sperne viator,
Qui post tam durum gaudia quæris iter.
Iuliades Musæ querulas nunc edite voces,
Delitias vestras sustulit atra dies.
Iuliades Musæ digna date carmina voce,
Totus erat vester, quantus hic arte fuit.
Hoc pietas poscit, non immemor illa recepti
Est meriti, meritis stat bona fama bonis.
Est pietas deflere piè fata vltima passos,
Est pietas lachrymis ponere velle modum.
Pone modum lachrymis Matrona relicta, potentis
Sic voluit fieri cura paterna DEI.
Pone modum lachrymis nunc Gnata relicta, generq;
DORSTADI, soceri sic iubet vmbra tui.
Vmbra beata iubet, sua sunt pia Iura sepultis,
Iura iubent, pietas & bona fama monent.
Viuite felices, in spe vos sistite cœlis:
Quàm felix vita est discere posse mori.

F I N I S.



78L 1823

ULB Halle

3

004 592 395



5b.







m

am 44

EPICEDION

IN OBITVM NO-
BILISSIMI VIRI, HEN-
RICI DE LVHE, REVEREN-
DISS: DN. DN. HENRICO IVLIO,
Halberstadiensis Episcopo, Brunsvicensium
ac Lunæburgensium Duci Illustris: olim à
Consilijs, ac Diœceseos Halberstad. Capi-
tanei, 13. Iul. Anno Redempti mun-
di 1591. AËtat: 57. è viuis
sublati,

Scriptum à
IOANNE VVERNERO D. HALBERSTA-
diensium Medico.



HELMSTADII Excudebat Iacobus Lucius, An. 1591.

AK

